XVI

non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offeren
da custodit. Hinc per Ioel dicitur: Sanctificate ieiunium. Ieiu
nium quippe sanctificare est adiunctis bonis aliis dignam Deo
abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur
iurgia. In cassum enim caro atteritur, si a pravis suis
voluptatibus animus non refrenatur, cum per prophetam Dominus
dicat: Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra.
Ecce ad lites et contentiones ieiunatis et percutitis
pugno impie, et omnes debitores vestros repetitis. Neque
enim qui debitorem suum hoc quod dedit repetit aliquid
iniustum facit, sed dignum est ut quisquis se in penitentia
macerat, etiam hoc quod sibi iuste competit interdicat.
Sic nobis adflictis et penitentibus a Deo dimittitur quod
inique egimus, si pro amore illius et hoc quod nobis iuste
competit relaxemus. Lectio sancti evangelii

In illo tempore designavit Dominus. Secundum Lucam.
et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante
faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.
Et reliqua. Omelia lectionis eiusdem habita ad episcopos
in consistorio Lateranensi.

Dominus et salvator noster, fratres karissimi, aliquando nos sermo
nibus, aliquando operibus admonet. Ipsa etenim
facta eius precepta sunt, quia dum aliquid tacitus facit,
quid agere debeamus innotescit. Ecce enim binos in
predicatione discipulos mittit, quia duo sunt precepta
caritatis, Dei videlicet amor et proximi, et minus quam
inter duos caritas haberi non potest. Nemo enim proprie
ad semetipsum habere caritatem dicitur, sed dilectio in
alterum [illegible] caritas possit. Binos ad pre
dicandum discipulos [illegible] quatinus hoc nobis t[illegible]